



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS

De

JURAMENTO  
VASALLITICO

German. der Lehenspflicht

Quam

AUSPICIO DEI OPTIMI MAXIMI

Nobilissimo & Amplissimo Collegio Juridico Illustris  
Academiae Rintelensis approbante,

PRÆSIDE

Amplissimo Consultissimo & Excellentissimo Viro

Domino

JOHANNES MARTINO Brandes

J.U. Doct. & Pandect. Profefs. publ. p.t. Jurid. Facult.

Decano Patrono ac Præceptore suo perpetuo  
colendo

*Pro summis in utroque jure honoribus & privilegiis  
Doctoralibus consequendis*

Publico examini submittit in Auditorio Jctorum

Ad diem Julij horis ante & pomeridianis

JOHANNES Nordbrinck / Herv. Westphal,



RINTELII, Typis Vidue Luciana,  
1658.

J. M. Brandes de iuram. vassallitico.

1, 092. 109.

14

1658, 2.



*Nobilissimis, Amplissimis, Cla-  
rissimis, Prudentissimis, & Spectatissimis*  
VIRIS

DN. CONSULIBUS,  
SYNDICO, SCABINIS SENA-  
TORIBUS & SECRETARIO  
inclytæ Reipubl. Hervordiensis

*Dnis Fautoribus, studiorumque suorum promotoribus  
nunquam non suspiciendis*

Debito observantiæ cultu Dissertationem hanc  
inauguralem in perpetuæ observantiæ mo-  
numentum, cum felicitatis regiminis voto

*Dicat, inscribit, consecrat*

JOHANN Nordbrinck.



# Dissertationis Inauguralis de Iuramento Vasallitico.

THES. I.



Uanquam teste Cic. 3. offic. fides sit vinculum illud per quod non tantum Respubl. quælibet, sed & major illa gentium societas continetur, qua sublata, tollitur quod inter homines est commercium, & Cic. rectè asserat nefarium esse fidem frangere, quæ continet vitam, sanctissimum ut Senec. loquitur humani pectoris bonum, Eò tamen proh dolor! omnibus retrò seculis nequitiaè iverunt homines, ut ejus sanctimoniam parum memores, & ejus quod dicitur *in l. 1. in pr. ff. de pact. fidem aliis datam violare haud sint veriti.*

I I.

Quod cum in omnibus actibus humanis, qui inter homines interedunt evenire videamus, mirum non est idem in negotio feudali non rarò contingere; Etsi enim Vasalli per excellentiam vocentur fideles *l. f. 1. §. 1. ibi: usque ad vitam fidelis §. 2. petitum est à fidelibus l. f. 4. in pr. & §. 10.* tamen & hos ipsos fidem quandoque non servare, in propatulo est.

I I I.

Hinc sapientissimum feudorum institutum promanavit, ut quos ad servandam fidem ipsa honestas & sanctè fa-

A

cta pro-

Qua promissio non adigeret, eos jurisjurandi religio eò compelleret.

I V.

Juramentum autem illud quo Vasalli ad servandam fidem astringuntur, vocatur juramentum fidelitatis, aliàs Vasalliticum seu clientelare, germanis dicitur die *Lehenspflicht* de quo hic ex professo paucis tractare animus est.

V.

Notandum autem initio est jura feudalia mentionem facere triplicis juramenti: quorum primum est juramentum subjectionis, alterum Domesticitatis & tertium de quo diximus Vasalliticum *in c. unic. qual. jur. ar. debe. vasal. 2. f. 5. Vult. lib. 1, de feud. c. 6. n. 4. Schneidew. in Epit. feud. part. 5. c. 1. Rosenth. in Synops. feudali c. 6. concl. 85. n. 4.*

V I.

Juramentum subjectionis à practicis Homagium antiquis Hominium; nostro Germanico idiomate die *Huldigung* oder *Erb- und Landes- Huldigungs- Pflicht* vocari consuevit *Vult. d. c. 6. n. 5. Borch. de feud. c. 2. n. 16. Rosenth. dict. concl. 85.* & est illud juramentum quo subditi suo Magistratui ratione subjectionis fidelitatem & obedientiam promittunt, vernacula nostra lingua, *daß sie getreu und gehorsamb seyn wollen / wie auffrichtigen Unterthanen geziemet und gebühret.* Atque inde Homagii & hominii appellationes fluxisse existimat, quod quis hoc juramento Potentioris alicujus homo efficiatur, h. e. personam suam ei subiciat: *Henr. Bocer. in tract. de investit. feudi c. 4. n. 7.*

V I I.

Nec sine causa sanè usus feudorum hoc juramentum introduxit; ne sc. subditi seditione, conspiratione vel aliis impro-



probis machinationibus Remp. turbent, neve Domini conditionem quacunque ratione deteriore reddant *Schenck Baro in d. c. Vnic. qualit. jurar. debe. Vas. n. 8.* formula ejus extat apud Feudistam *in d. c. Vnic.* quod nempe subditus vitam, membrum, mentem Domini & ejus rectum honorem custodire velit.

V I I I.

Coeterum temporis progressu & consuetudine hæc jurandi formula fuit immutata, hodie quippe subditi Principibus suis ita præter propter fidelitatem ac subjectionem jurant: *Das sie ihrem Erb- und Landesfürsten / hold / getreu und gehorsamb seyn wollen / dessen Schaden wenden und warnen / nützen und bestes werben und fordern / Vid. Gail. de Arrest. imperij c. 7. n. 10.*

I X.

Cum autem hoc juramentum personam jurantis ejusque subjectionem tantum respiciat, nec respectu bonorum, quæ quis in territorio alicujus principis possidet, præstetur, sequitur ut si quis bona in territorio alicujus Domini teneat, ipse verò in eodem territorio domicilium non habeat, hoc jusjurandum præstare non teneatur, *Rosent. c. 6. concl. 85. n. 8. Coler. de processib. execut. part. 2. c. 1. n. 23. Schneid. part. 1. c. 5. n. 68.*

X.

Omnes verò Jurisdictioni alicujus Magistratus subiecti Homagium præstare tenentur; & quamvis Romani Pontifices *in c. nimis 30. & c. petitio 31. X. de jurejur.* Clericos in terris & civitatibus Dominorum Laicorum habitantes ab hoc juramento voluerint esse immunes, per rationem sanè ridiculam, quod nempe secundum Apostolorum servus suo Domine stet aut cadat, *d. c. nimis 30.* tamen cum ratio illa ob quam hoc juramen-



mentum à subditis exigi th. 7. dictum est æquè in clericis atq; in Laicis obtineat, meritò quoque idem jus in clericis quod in Laicis statui, æquum est.

X I.

Alterum fidelitatis juramentum est illud quod præstant Domestici & familiares alicujus Domini ratione nimirum officii quo in domo ejus funguntur & inde & Domesticitatis seu familiaritatis indigitari consuevit, Germ. *Kahts- oder Dienst-Pflicht* & hoc juramenti genus itidem non sine causa feudorum placita receperunt: sc. ut nocendi occasionem jurisjurandi impediret religio, cum constet pessimum nocendi artificem esse improbum domesticum, nullamque pestem ad nocendum vel efficacioram vel magis præsentaneam quam familiarem inimicum. Cum enim hisce personis quæ in familia nostra vivunt vel corpus nostrum vel vitam vel honorem, vel bona vel etiam arcana consilia nostra committamus illis profectò longè major & opportunior erit quam exteris nocendi facultas. Hinc verissimè dicitur eum qui corpore nobis præsens est, mente tamen & animo contra nos est, longè perniciosiorem esse hostem quam illum qui foris est, cum tuta frequensque via sit per amici fallere nomen, teste Ovid.

X I I.

Quamvis autem nonnulli hoc juramentum ab illis duntaxat ministris, qui in eadem domo & aula cū Domino versantur exigi posse existiment: Rectius tamen alii illud ab omnibus officariis etiam extra domum seu aulam, Domini munere aliquo fungentibus Germanicè *Bedienten von Hauß auß* præstandum esse, statuunt *Vult de feu. lib. 1. c. 6. num. 6. Matth. Steph. in tract. de jurisd. lib. 2. part. 1. c. 2. n. 140.*

Qua





X I I I.

Qua ratione etiam non malè defendi videtur privatorum quoque famulos & ministros, utpote qui non minus fideles Dominis suis esse debent, quique non minus familiaritatis & amicitia; prætextu Dominis nocere possunt ad fidelitatis & juramenti domesticitatis præstationem cogi posse *Matt. Steph. in tract. de juris d. lib. 2. p. 1. c. 2. n. 240.* Ubi tamen illud monendum statim ab initio & quam primum quis inter familiares recipitur, hoc fieri debere, nam ubi semel inter familiares & domesticos non exacto hoc jurejurando receptus est, compelli amplius nequit ad jurandam fidelitatem, nisi novæ suspensionis causæ oriantur.

X I V.

Sunt tamen nonnullæ personæ domesticæ, quæ ab hoc juramento excusantur: quales sunt pater, filius & uxor, in has enim nulla fraudis & insidiarum suspicio facile cadit *Alvarot. in c. unic. qual. jurar. debet. Vas. Schneid. part. 5. c. 2. n. 64.* Cum enim pater & filius pro una eademque persona habeantur *l. fin. C. de impub. & alij substit. ac pro affectu paterno pater magis diligat liberos quam seipsum, sic ut etiam magis ratione liberorum quam sui ipsius terreatur l. 8. inf. ff. Quod met. causa.* Uxor verò socia sit divinæ atque humanæ domus, *l. 4. Cod. de crim. expil. hered.* credibile non est hasce personas in sui perniciem aliquid esse molituras *Schneid. d. n. 64.*

X V.

Ultimum fidelitatis juramentum est illud quod Dominus exigit à Vasallo & Vasallus ratione beneficii Domino feudi præstare tenetur, *Alvarot. Francisc. Hot. in d. c. unic. qual. Vasall. jurare. deb.*

X V I.

Circa explicationem autem hujus juramenti primò Vi-

A 3

den-



dendum quinam illud præstare debeant, & pro Regula ponendum quod illud Vasallus Domino feudi non autem vicissim Dominus feudi vasallo præstare obstrictus sit *Rittersh. partit. feud. l. 1. c. 10. quest. 12. Bocerus in tract. de investit. feud. c. 4. n. 47. Zas. in epit. feud. part. 7. n. 47.* Quamvis enim obligatio feudalis utrumque tam Dominum quam Vasallum ad mutuam ac reciprocam fidem obstringat *c. un. de form. fidel. in fin.* & dicente Seneca beneficium sit commune vinculum alligans inter duos *lib. 6. de benef. circa finem*, nullus textus tamē in toto jure feudali reperitur, qui fidei ex parte Domini juratam promissionem exposcat; quare Dominus quidem in omnibus vicem reddere fidei suo debet, sed absque juramento, *Vid. Cujac. Schenck Baro & Alvarot. in d. c. un. de form. fidel. Rosent. d. concl. 85.*

X V I I.

Cæterum jurare tenetur omnes Vasalli qui investituram petunt & feuda accipiunt, cujuscunque sint sexus *c. Vn. in fin. per quos fiat investit. 2. f. 3.* Et quamvis foeminae ad pleraque quæ juramento fidelitatis continentur censeantur inhabiles, & ratione sexus ea expedire videantur prohiberi, ex tacita tamen Domini feudum dantis concessione per substitutum facere poterunt quæ ipsæ per se præstare nequeunt *Menoch. conf. 65. n. 30. vol. 1. Schrad. in tract. feud. part. 6. c. 4. n. 8.*

X V I I I.

Non refert præterea cujuscunque etiam status vel dignitatis sint Vasalli, sicut & inferiori superior ratione feudi quod ab eo tenet fidelitatem facere debeat. In tantum ut ne quidem Princeps superiorem non recognoscens ab hoc juramento sit immunis *Schrad. in d. tract. p. 6. c. 4. n. 9. Zas. de feudis part. 5. n. 73. adde Hot. illust. quest. 36.* Etenim in jure feudali nulli-

nullibi legimus superiorem quoad juramentum clientelare esse exceptum: Sed potius generaliter & absque omni dignitatis discrimine plurimis in locis clientelare juramentum à Vasallo exigi observare licet 2. f. 3. 4. 5. 6. & 7. Sanè evidentissimi juris est Principem in contractibus & pactis etiam cum privato initis, privatorum jure uti, nec magis violare pacta cōventa posse, quam quivis privatus arg. l. 5. C. de Locat. pred. civit. vel fisc. Coras. lib. 2. miscellan. c. ult. n. 5. Ferdin. Vasq. lib. 1. controu. juris Civil. c. 3. n. 1. Borch. de feud. c. 6. n. 20.

X I X.

Atque illud ipsum disertis verbis inculcare videtur Feudista in c. un. Imperat. feud. amit. vel alium pro se fidel. dare. Textum quia elegans est ad verbum apponere non pigebit: Ex facto incidisse scio Fridericum Principem nostrum, cum ab initio Dux esset, & pro Ducatu fidelitatem faceret, divino nutu postea Imperatorem creatum, petita ab eo fidelitate pro Ducatu, petenti Domino respondisse, non teneri se fidelitatem facere, cum omne hominum genus sibi fidelitatem debeat, & ipse soli Deo & Romano Pontifici. Sed cum insistente feudi Domino de hoc contendetur proceribus prudenter visum est, feudum amissum esse vel alium Ducem in Ducatu constituendum, qui feudo servare debeat, & Domino fidelitatem faciat. Quid verò si superior existimet se inferiori salva Majestate fidelitatem facere non posse? Et quin tum per substitutum jurare possit dubitandum non est Vid. Cuj. in d. c. Vnic. Imper. feud. amit. 2. f. 100.

X X.

Porro non interesse videtur Vasallus Laicus sit an Clericus arg. c. verum X. de foro compet. Schneid. in epit. feud. part. 4. n. 7. Vultej. c. 6. n. 36. Aliud tamen dicendum putant non nulli quan-



li quando feudum datur Ecclesie. Cum enim hæc sit cultrix  
& auetrix justitiæ quæ non patitur contra justitiam aliquid  
fieri vel in se vel in alterum ut sunt verba in *c. unic. de alienat.  
feud. l. f. 13.* non debet ad ea, quæ justitiæ ac fidei sunt jure ju-  
rando astringi. *Intrigliol. de feud. quæst. 56. n. 222.* hinc etiam in  
jure feudali à juramento Vasallitico Ecclesia penitus videtur  
absolvi quando in *tit. Ecclesiam fidelitatem non facere l. f. 101.*  
Ita scribitur, *De negotio super quo nos consulere voluisti tibi se-  
cundum jus Curie & usum feudis breviter respondemus, quate-  
nus pro feudo, quod ab aliquo per Ecclesiam detinetur, nulla sit  
facienda fidelitas.*

X X I.

At hodie usu contrarium observatur; Prælati enim Præ-  
sulesque Ecclesie feudum nomine Ecclesie accipientes clien-  
telare juramentum utique præstare coguntur *Hartm. Hartm.  
lib. 2. practic. observ. tit. de feudis 54. obs. 4. n. 5. & 6.* Et hanc ne-  
cessitatem Jus Pontificium Prælati Ecclesie imponit in *c. un.  
§. verum quando. de stat. Regul. in 6to.* Ex quo cap. non ob-  
scure colligitur Pontificem juri feudali (si quid antea de jure  
jurando ab Ecclesia non præstando disposuit) expressè dero-  
gatum velle. Neque hæc sententia ratione destitui videtur;  
Quamvis enim Ecclesiam fallere non præsumatur, Prælati ta-  
men ac Præsules feuda nomine Ecclesie tenentes fallere utiq;  
ac perfidi esse possunt *Nic. Mozz. de feudis tot. tit. de divis.  
feud. n. 9.*

X X I I.

Præterea ratione hujus juramenti non distinguitur an  
persona sit singularis quæ feudum accipit, an verò Univer-  
sitas quædam v. g. Civitas, Collegium aut quævis alia commu-  
nio *Schrad. p. 5. n. 70.* ubi tamen observandum est, quoties ab

Uni-



❁ 9 ❁

Universitate fidelitas mediante juramento est facienda, non singulas ejus Universitatis personas jurare, sed Syndicum vel Procuratorem aut Actorem ad negotium hoc expediendum mittendum esse *Schrad. p. 6. c. 1. n. 2. Bocer. de investitura feudi c. 4. num. 25.*

X X I I I.

Ille autem jurare debet tūm in suam propriam, tūm in singulorum etiam de Universitate animam *arg. c. in pertractandis 3. de iuram. cal.* Et præterea oportet eum ad hunc actum esse instructum speciali & pleno mandato non solum Consulū & Senatorū pro se & Civibus suis, sed tribunorum etiam plebis, cæterorumque primatum, pro cujusque loci consuetudine *Boc. d. c. 4. n. 25. Moz. de feud. subst. n. 16. Vult. lib. 1. c. 7. n. 35.*

X X I V.

Non tantum autem ipse Vasallus sed ipsius quoque heredes & successores juramentum Vasalliticum præstare tenentur *c. unic. in princip. qua fuit prim. causa benef. amittend. 2. f. 24.* Non enim ex eo quod defunctus fidelitatem juravit heres ab hoc juramento est immunis, cum fides juramenti non sit transitoria ad heredes jurantis *arg. l. 12. C. de Reb. credit. & jurej.* Quod ipsum eò extendimus etiam si defunctus Vasallus pro se & heredibus fidelitatem jurarit: juramentum enim non ligat nisi animam jurantis, nec quisquam in alterius animam jurare potest, quam si speciale de eo mandatum habuerit *Boc. de feud investit. c. 4. n. 26. Rosent. cap. 6. concl. 35. n. 1. Vult. de feud. c. 6. n. 38.*

X X V.

Et hoc extra dubitationis aleam positum est si unus sit Vasallo successor, sed non usque adeo expeditum, si pluribus

B

reli-

relictis heredibus decesserit Vasallus, num omnes illi jurare te-  
neantur? Ubi distinctione negotium expediendum: Et qui-  
dem si ex divisione ad unum ex illis totum feudum pervene-  
rit, sufficiet, si is solus, utpote solus Vasallus fidelitatem faciat  
*c.1. si de feud. defunct. content. sit. 2. f. 26. §. omne Moz. de subst.  
feud. n. 18 Vult. c. 7. n. 93. in fin.* Cæteri verò ejus coheredes eo  
casu jurare non compelluntur; Sin vero ad omnes simul feu-  
dum pervenerit & illud indivisum adhuc possideant heredes,  
unam fidelitatem Domino fieri sufficere nonnulli putant;  
Quod si verò inter heredes jam divisum sit, omnes atque sin-  
gulos ad promissionem fidelitatis teneri *Cujac. in d. tit. 26.  
2. f. §. omnes.*

X X V I.

Alii verò rectius statuunt, omnes atque singulos heredes  
sive feudum inter se diviserint sive indivisum adhuc posside-  
ant, jurare debere, quorum sententia confirmatur *in c. 1. de pro-  
hib. feud. alienat. 2. f. 55. §. 1. ubi hæc habentur verba: Præterea  
Ducatus Marchia Comitatus de cætero non dividatur, aliud au-  
tem feudum si consortes voluerint, dividatur, ita ut omnes qui  
partem habent feudi jam divisi, vel dividendi fidelitatem fa-  
ciant Schrad. de feud. part. 6. c. 1. n. 6. Vult. c. 7. n. 48. Rosent. c. 6.  
concl. 36. n. 1. & seqq.*

X X V I I.

Ratio hujus opinionis consistit in eo quod unusquisque  
heredum eo ipso quo tenet partem suam feudi sive pro diviso  
sive pro indiviso eam tamen possideat atque ex ea possessione  
Vasallus intelligatur Domini pro ea parte quam possidet & ex  
qua commodum percipit, propterquod Domino suo fideli-  
tatem facere atque jurare tenetur *Hartm. Pistoris quest. 47. n. 5.  
& seqq.*

Quod



X X V I I I.

Quod autem dictum est fidelitatem ab omnibus atque singulis heredibus Vasalli defuncti faciendam esse, hoc ita non debet accipi ac si eodem tempore & simul omnes fidelitatem promittere debeant: sed erit in illorum arbitrio separatim atque distinctis temporibus illud peragere: Unde si unus ex illis investituram pro sua persona petat & se ad præstandum iuramentum clientelare offerat non potest Dominus eum repudiare & investituram differre donec cæteri quoque heredes adsint *Ros. d. conclus. 36. num. 4. Vult. c. 7. num. 92.* Ubi tamen illud observandum omnes vel plures heredes unum ex se eligere posse eumque speciali mandato de facienda fidelitate instruere, qui omnium nomine investituram petat & fidelitatis iuramentum præstet: Quod enim quis per alium facit ipse fecisse videtur & cuius liberum sit vel per se vel per Procuratorem jurare *Vult. d. c. 7. n. 03. Borch. de feud. c. 7. part. 1. n. 34.*

X X I X.

Quemadmodum enim Vasallus investituram non modo per se sed & alium accipere potest *cap. unic. per quos fiat investit. 2. f. 3. verba hæc sunt: sed utrum ipse vel alius pro te investituram faciat vel suscipiat nihil interesse putamus, potest enim hoc negotium & per Procuratorem ab utraque parte expediri; ita quoque fidelitatem tam per se quam per alium quisque potest facere, cum fidelitas investituræ inseparabile sit adjunctum d. c. unic.*

X X X.

Quid verò dicendum si Dominus feudi ipsius Vasalli, præsentiam urgeat & procuratorem ejus admittere nolit an tunc Vasallus ipse comparere & jurare cogitur? Quod videtur affirmandum, si sc. Dominus justas habeat causas cur il-

B 2

lum



lum velit esse praesentem *Schrad. part. 5. c. 2. n. 35. Hartm. Pist. d. quest. 47. n. 59. dissentit. Rosenth. p. 1. c. 6. concl. 37.* Quod sitamen legitimum impedimentum habeat Vasallus propter quod ipse nequeat, tenetur Dominus feudi Procuratorem quem misit admittere, licet justas fortassis causas habeat ob quas Vasalli praesentiam desideret *Bocer. de feud. invest. c. 4. n. 24. Hartm. Pist. d. quest. 47. n. ult.*

X X X I.

Ante omnia verò Procurator qui ad fidelitatem faciendam ablegatur speciali mandato de praestando clientelari juramento à Domino instructus sit necesse est, siquidem in animam alterius absque speciali mandato nemo jurare potest *Laurent. Sylv. de feud. recog. quest. 94. Schrad. p. 5. c. 3. num. 11. & part. 6. c. 4. n. 31. addatur c. unic. §. Verum. de stat. regular. in 6.*

X X X I I.

Ceterum jurare debet Procurator non in propriam sed sui Principalis animam. Formam juramenti clientelaris quatenus hodie in aulis Principum fere usitata est tradit *Schneid. part. 5. c. 1. n. 89.* tenor talis est: *ich Sempronius, als Gewaltträger Titii schwöre und gelobe in dessen Gewissen und Seele Gott dem Allmächtigen von den Schloßern / Stadt &c. und ihren Zuhörungen / als welche von dem Durchleuchtigen &c. zu Lehen rühret demselben getreu gehorsamb und gewertig zu seyn / seines Schaden wenden / und bestes zu werben / solche Lehen treulich zu verdienen / und davon zu thun und zu dienen / als solches ein Lehenmann seinem Lehenherren schuldig und pflichtig / auch Lehenrecht und Gewonheit erfordert / und einem getreuen Lehenmann zustehet / als wahr mir GOTT helffe und sein N. Evangelium.* Et tantum de illis qui juramentum hoc praestare tenentur.

Dispi.





X X X I I I.

Dispiciendum nunc porrò est quibus personis hoc juramentum præstari debeat, ubi pro Regula notandum quod præstandum sit feudi Domino cujuscunque sit sexus, ætatis, status aut dignitatis: Et quidem soli Domino adeo ut ne quidem filio Domini, superstite adhuc ipso Domino fidelitas jurari debeat *Rosent. c. 6. concl. 106. Moz. de feudi subst. n. 24.* Quod si tamen Dominus filio jus suum directum concedat ac Vasallum à juramento sibi præstito absolvat, Vasallus feudum à filio recognoscens, ei ut novo Domino fidelitatem jurare tenetur *Vult. de feud. c. 7. n. 89.*

X X X I V.

Mortuo verò feudi Domino heredi & successori ejus juratur *c. 1. in pr. Quo tempor. mil. 1. f. 22.* quod & tunc fieri debere quidam existimant cum Vasallus Domino defuncto & ejus successoribus fidelitatem promisit: Quam sententiam Nobilissimi Juris feudalis Interp. defendunt *Bocer. de invest. feud. c. 4. n. 27. Schrad. p. 6. c. 4. n. 12.* Verum negantium opinio videtur præferenda, cum alla nitatur textu Juris Pontificii satis expresso *in c. Veritatis X. de jurejur.* Quamvis interea Vasallus ad investituræ renovationem petendam sit obligatus *Rosent. c. 6. concl. 31. n. 5.*

X X X V.

Et hoc planè non habet dubium si unum successorem Dominus relinquat. Sed intricatæ admodum quæstionis est, quid statuendum si pluribus relictis heredibus Dominus decesserit, an eo casu omnibus successoribus, an verò uni tantum ex illis fidelitatem jurare debeat Vasallus? Et constat si ex divisione hereditatis vel ex privilegio aut consuetudine vel alia quadam causa proprietastotius rei feudalis uni alicui here-



dum obvenerit ei soli fidelitatem esse faciendam *Bocer. de invest. feud. c. 4. n. 42. Ros. c. 6. concl. 38.* Si verò omnes rem feudalem pro indiviso possideant sunt qui statuunt omnibus atq; singulis juramentum esse præstandum *glos. in l. si cuius 13. §. si ususfructus verb. oportere ff. de ususfruct. Wesemb. de feud. c. 8. n. 22. & 26.* Quamvis nonnulli putent etiam uni nomine tamen omnium jurari posse *Vult. c. 7. n. 93. Wes. d. c. 8. n. 26.*

XXXVI.

Cæterum à quo ille eligendus sit inter Dd. non convenit: Quidam electionem Vasallo tribuunt, alii eligendi potestatem ipsis heredibus concedunt, quibus & nos calculum nostrum adjicimus, *Borch. de feudis c. 7. n. 35. Vult. c. 7. n. 94.*

XXXVII.

Quod si verò circa electionem etiam heredes dissentiant sunt qui Vasallo electionem deferunt: *Vult. d. n. 94.* Quidam seniori & heredibus fidelitatem esse faciendam contendunt *Tiraquel. de jure primog. quest. 85. n. 17.* nobis arridet sententia Boceri sc. hoc casu omnibus & singulis juramentum præstari oportere *d. c. 4. n. 45. videtur Borch. c. 7. n. 35.*

XXXVIII.

Quemadmodum autem Vasallus per se vel per Procuratorem jurare, ita quoque Dominus feudi vel per substitutum ut Procuratorem investituram & quod ei connexum est, fidelitatis juramentum recipere potest, *Schrad. p. 6. c. 4. n. 36.* Nec quicquam adversatur quod Dominus novum Emphyteutam ipse in possessionem suscipere cogatur nec per Procuratorem id expedire possit *l. fin. §. fin. C. d. Iure Emphyteut.* argumentum enim ab Emphyteusi ad feudum, & ab Emphyteuta ad Vasallum nullius momenti est, quoties aliud in hoc quam in illo jure feudali statutum reperitur *Everh. topic. legal. loc. 30. ab emphyt. ad feud.*

Ordi-



X X X I X.

Ordinis ratio nunc postulat ut videamus de quibus feudis fidelitas veniat præstanda. Certum autem est de omnibus feudis in quibus pacto & conventionione inter Dominum ac Vasallum juramentum non remittitur, in iis id præstari oportere *Rosent. c. 6. concl. 67. Vult. c. 7. n. 39.* Jus enim feudale indistinctè fidelitatem à Vasallo exposcit, Unica hac apposita exceptione nisi pacto remissum fuerit juramentum *c. Vnic. per quos fiat invest. 2. f. 3. in fin.* Cum itaque exceptio firmet regulam in casibus non exceptis Regulæ tamdiu inherendum, dum exceptio liquidò fuerit probata.

X L.

Non solum igitur de magnis sed etiam de parvis feudis fidelitas seniori facienda est, feuda quippe modica non minus feuda sunt atque magna *Vult. c. 7. n. 5. Rosent. c. 6. concl. 67. Bocer. c. 4. de investit. feudi. n. 13.*

X L I.

Licet autem hæc sententia in puncto juris sit verissima, contrarium tamen usu receptum & approbatum esse docet *Vult. c. 7. n. 39.*

X L I I.

De feudo franco dubitari solet an in eo præsumatur clientelaris fidelitas remissa? Quod negamus, quavis enim feudum francum à natura feudorum propria degeneret, quatenus à servitiis liberum est, in cæteris tamen omnibus *Rosent. c. 2. concl. 59.* idem affirmamus de illo feudo pro quo Vasallus non servitia sed annum censum Domino præstat, cum feudum cujus natura mutata est in uno aliquo, retineat propriam in cæteris *c. unic. 2. f. 48.* Ex quibus sequitur de omnibus feudis absque ullo quantitatis & qualitatis discrimine clientelare juramentum esse præstandum nisi pacto fuerit remissum.

Viden-

X L I I I.

Videndum nunc etiam est, de forma præstandæ fidelitatis, ubi primo considerandum num quid circa illam inter Dominum & Vasallum specialiter convenerit: Hoc enim servandum erit si nec bonis moribus repugnet, nec pietatem lædat, nec juris prohibitioni adversetur, nec sit contra negotii substantiam *l. 7. §. ait Prætor. ff. de pact.* Quod si nihil specialiter sit actum inter Dominum & Vasallum ea observanda erit forma quæ in unaquaq; regione frequentatur & loci consuetudine recepta est *l. 34. ff. de R. I.*

X L I V.

Si autem & consuetudo vel mos regionis deficiat, tum ea retinenda est forma circa juramentum clientelare quam jus feudorum præscribit *Schenck, Baro in tit. 7. n. 7. vers. quia cessante 2. f.* Hoc autem jus duas juramenti formulas suppeditat, quæ verbis quidem discrepant at re ipsa idem important, quarum prior habetur *inc. Vnic. Qual. jur. debeat Vasal. 2. f. 5. his formalibus: Ego juro ad hæc sancta Dei Evangelia, quod à modo in antea ero fidelis huic, sicut debet esse Vasallus Domino, nec id quod mihi sub nomine fidelitatis commiserit Dominus pandam alii ad ejus detrimentum me sciente, altera habetur in c. un. de nov. form. fidel. 2. f. 7. in verb. concepta: Ego Titius juro super hæc sancta Dei Evangelia quod ab hac hora in antea usque ad ultimum diem vita mea ero fidelis tibi Cajo Domino meo contra omnem hominem, excepto Imperatore vel Rege. Quam formulam feudista in d. cap. latius interpretatur.*

X L V.

In genere autem notandum, quod sex sequentia in memoria semper debeat habere qui Domino suo fidelitatem jurat: Incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile *c. Vnic. de form. fidel. 2. f. 6.* Inco-



X L V I.

Incolume interprete Feudista requirit à Vasallo ne sit in damno Domino de corpore suo h. e. ut Vasallus non tantum ipse ab omni facto, auxiliis & consilio abstineat per quod Domini corpus & persona quacunque ratione lædi potest, sed etiam pro virili caveat, ne quis alius personam Domini lædat, vel damnum aliquod ei inferat, juxta verba *C. Vnic. de nov. form. fidel. 2. f. 7.* *Nunquam scienter ero in consilio vel in facto quod tu amittas vitam vel membrum aliquod, vel quod tu recipias in persona aliquam lesionem. Et si scivero vel audivero de aliquo, qui velit aliquod istorum contrate facere pro posse meo ut non fiat impedimentum præstabo.*

X L V I I.

Tutum duo comprehendit, primò ne Vasallus Domino suo sit in damno de secreto suo i. e. ne secreta consilia Domini sui sibi concredita revelet in verbis *d. c. unic. de nov. form. fidel.* *Et si aliquid de secreto mihi manifestaveris sine licentia tua nemini pandam vel per quod pandatur faciam.* Secundò ne Vasallus Domino in damno sit de munitionibus suis per quas tutus esse potest h. e. ne Vasallus munitiones & castra Domini prodat, sed illa pro virili defendat, ut nullum det hostibus signum, nec iis Dux exercitus forsan creatus, exercitum prodat.

X L V I I I.

Honestum itidem duo continet, ne Vasallus Domino in damno sit de sua justitia h. e. ne Vasallus quacunque ratione impediatur quo minus Domino justitia administretur sive sit judex in causa Domini sive à Domino conveniatur, sive ipsū conveniat; sed potius procuret ut illi jus suum reddatur. Secundò ne Domino in damno sit de aliis rebus quæ ad ejus honestatem pertinere videntur h. e. ne quid Vasallus committat

C

quod



quod in Domini injuriam redundet, aut existimationem statum, aut dignitatem Domini lædat in verb. *Vel quod tu amittas aliquem honorem quem nunc habes vel in antea habebis d. c. unic. 2. f. 7.*

X L I X.

Hinc fit quod Vasallus Dominum absque venia in jus vocare nequeat, ne hac ratione honor, existimatio, & dignitas Domini imminuatur *Vult. de feud. lib. 1. c. 10. n. 22. Zas. in Epit. feud. part. 7. n. 47.* Generaliter enim personas quibus reverentia præstanda est, sine jussu Prætoris vocare non possumus *l. 13. ff. de in jus vocand.* Cum Edictum de in jus vocando sine venia Magistratus ad omnes omninò personas pertinet, quibus naturali ratione honor debetur *l. 2. C. eod.*

L.

Pari ratione contra Dominum famosam actionem Vasallus intentare vel famosa Exceptione aliqua uti non potest, sed illarum loco actionem vel Exceptionem in factum comparatam habet *Rosent. c. 10. concl. 23. n. 1. & seqq. Wes. de feud. c. 9. & 10. n. 12.* Excipitur tamen actio criminis læsæ Majestatis & perduellionis, salus enim Reip. salutis Senioris hoc passu antepomitur *Ritters. in partic. feud. c. 1. quæst. 8.*

L I.

Ex eodem fonte promanat quod Vasallus juramentum calumniæ à Domino exigere nequit §. *in quibus etiam 2. f. 33. de consuet. rect. feud. Obrecht. in tract. de juram. calum. c. 8. n. 18. Vult. lib. 2. c. 3. n. 6.* Grave enim est calumniæ insimulari Dominum ipsique vel calumniæ nomen objicere.

L I I.

Utile juxta Feudistæ interpretationem significat ne Vasallus Domino suo in damno sit de suis possessionibus: i. e. Ne  
damnum



damnum aliquod Vasallus inferat Bonis Domini, sed ea potius contra alios tueatur atque defendat, in iisque retinendis, vel recuperandis omne auxilium atque consilium suppeditet in verb. *Et si contigerit te rem aliquam quam habes vel habebis injustè vel fortuito casu amittere eam recuperare juvabo & recuperatam omni tempore retinere d.c.unic. de nov. form. fidel. Schrad. de feud. part. 6. concl. 6 n. 14.*

## L I I I.

Denique facile & possibile hoc à Vasallo exigunt ut quod expedire Domino facile aut possibile est, ne hoc à Vasallo ipsi reddatur difficile aut impossibile *d.c.unic.*

## L I V.

Quamquam verò hæc sex fidelitatis capita Vasallo ex præscripto Feudistæ accuratè sint observanda, ad tria tamen reverentiam sc. taciturnitatem, & commodum Domini illa commodè revocari posse existimat *Vult. lib. 1. de feud. c. 10. n. 21.*

## L V.

De forma juramenti clientelaris hætenus. Dicendum nunc est de loco in quo illud præstandum: Ubi notandum si locus conventionem utriusque & Domini & Vasalli sit determinatus, tum procul dubio eo in loco de quo ex pacto convenit, jurabitur *arg. l. 34. ff. de R. I.* Quod si de loco inter Dominum & Vasallum nihil actum sit, tum locus habitationis consuetæ vel si ibi non reperiatur Dominus, locus ille ubi sita sunt prædia feudalia aut ubi feudum est promissum huic rei idoneus censebitur *arg. l. 38. ff. de Iudic. Laur. Sylv. de feud. recogn. quæst. 18. Bocer. in tract. de invest. feud. c. ult. n. 13.* Sin verò in illis locis Dominus non reperiatur opinio est alium quemvis locum, in quo aliàs commoratur Dominus Vasallum ipsum posse adire *Schneid. part. 5. n. 4. Schrad. de feudis p. 6. c. 2. n. 39.*

L V I.

Sed redarguitur hæc opinio ex eo quod nullum habeat in jure feudali fundamentum nec in eo præsens quæstio decisa reperiatur, ut a deo ea jure civili decidenda relinquatur *c. un. de feud. cognit. 2. f. 1.* atque hoc jure in casu simili excusatur debitor, nec ad evitandam moram alio in foro perquirere suum creditorem tenetur. Quapropter idem quoque de Vasallo statuendum videtur *Rosent. c. 6. concl. 5. n. 3.*

L V I I.

Uti porrò non ubivis locorum Vasallus feudum recognoscere fidelitatemque jurare cogitur, ita quoque nec tempus quodvis huic rei expediendæ erit opportunum. Ubi nunc devenitur ad illam quæstionem quando & quonam tempore fidelitatis juramentum fieri debeat? Ad quam quæstionem verbis aliquantò obscuris respondet Feudista, nempe investituram præcedere debere fidelitatem *c. un. quid præced. deb. an investit. vel fidel. 2. f. 4.* Quo procul dubio denotare voluit non ante sed demum post illam illud esse præstandum *Ritersh. portit. feud. lib. 1. c. 10. quæst. 1. Bocer. de invest. feud. c. 1. n. 11. & seq.* Sic enim ipse Feudista semetipsum explicat *in c. un. §. fin. de nov. form. fidel. 2. f. 7.* ubi in hæc verba scribit, *investitura autem facta & fidelitate subsequuta omninò cogatur Dominus investitum in vacuam possessionem mittere &c.* quo quid clarius exprimi potuisset, quam investituram præcedere & fidelitatem subsequi debere; cujus consequens est, non compelli Vasallum fidelitatis juramentum jurare antequam facta fuerit investitura.

L V I I I.

Cujus ratio planè in obscuro non est: Cum enim Vasalli fidelitas & quæ exinde nascitur obligatio dependeat ex benefici-





beneficio patroni, & Vasallus Domino fidelitatem non debeat nisi ex feudo & propter feudum ordini conveniens est, Vasallum prius ad jurandum cogi non posse, quam si à Domino per investituram beneficium acceperit *Hot. ad dict. cap. un. quid preced. dabet 2. f. 4.*

L I X.

Apparet hinc falli illos qui fidelitatem investituræ partem essentialem constituent. Qui enim pars ejus essentialis esse potest cum evidenter sit consequens: Nunquam certè fieri potest ut unum idemque ejusdem simul pars sit & consequens. Id quod cuivis notissimum est. Licet verò contingere possit ut quandoque ordo hic invertatur, sicut prius juretur fidelitas, subsequatur investitura, id tamen non aliter putamus admittendum quàm si Vasallus hoc ipse concedat: alioquin certò investituram faciendam post verò fidelitatem jurandam esse nec prius ad fidelitatem faciendam cogi posse Vasallum, quam si investituram acceperit, ex iis quæ hæcenus dicta sunt, perspicuè relucet.

L X.

Restat ut etiam videamus sub quam poena debeat jurari, poena autem illa est feudi amissio *tit. 3. in fin. 24. 40. & 55. 2. f.* Sicut si Vasallus investitus quidem fuerit, sed in possessionem nondum inductus non cogatur Dominus feudi hoc casu antequam fidelitatem promiserit Vasallus eum in possessionem feudi inducere *c. un. in fin. de nov. form. fidel. 2. f. 7. & c. un. in fin. per quos fiat investit. 2. f. 3.*

L X I.

Quod si verò in possessionem feudi etiam missus fuerit Vasallus tanquam ingratus potest expelli *c. un. in verbis: si fidelitatem pollicendo non adierit, tanquam ingratus existens be-*

*neficium amittet. Quæ fuit prim. causa benef. amitt. 2. f. 24.*  
 Non quidem propria ac privata Domini auctoritate, cum nemo sibi ipsi jus dicere debeat *l. 13. ff. quod met. causa l. si quis intantam C. unde vil. pen. & ult. ff. ad C. Iul. de vi* nec singulis concedendum, quod Magistratus auctoritate potest expediri *l. non est singulis 176. ff. de R. I.*

L X I I.

Utrum verò Vasallus ob non petitam intra tempus legitimum investituræ renovationem aut fidelitatem promissam, ipso jure feudo privetur, sic ut amplius sententia declaratoria Domini non sit opus est controversum. Nos ad stipulamur communi Feudistarum sententiæ; quod nempe purgatio moræ sub satisfactione celeri possit admitti *Laur. Sylv. in tract. de recogn. feudi quest. 27. Rosent. in synop. feud. concl. 59.*

L X I I I.

Et hæc sententia non parum confirmatur exemplo Emphyteutæ: hic enim etsi ob non solutum canonem per triennium emphyteusi privari possit, moram tamen suam per celerem satisfactionem purgare potest *c. potuit §. Emphyteuta X. de locat. & conduct.* Verum enim verò quo minus Vasallus ob non præstitum intra tempus legitimum juramentum dientellare incurrat pœnam feudi & amissionis duæ res imprimis faciunt *l. si conventionem Vasallo juramentum fidelitatis sit remissum, ipsique sic ab initio acquisitum, ut absque juramento fidelitatis id habeatur c. un. per. quos fiat. investit. 2. f. 3. c. unic. quæ fuit prim. causa benef. amitt. 2. f. 24.*

L X I V.

Quamvis enim contractuum substantialia pacto & conventionem contrahentium immutari non possint & pacta conventa substantiæ contractum contraria adjecta contrahentibus

Quibus aut ipsa vitientur aut vitient contractus eosque in aliud negotii genus transmutent *l. 72. ff. de contrah. empt. Hotm. illustr. quest. 36.* naturalia verò contractuum pactionibus immutari posse ita ut ex pactis contrahentium formam & legem contractus accipiant certi est & indubitati juris *l. pacta conventa 72. l. 7. §. 5. ff. de pact.*

L X V.

Propterea licet fides ipsaque fidelitas tanquam feudi substantiale Vasallo nunquam possit remitti sic ut feudum nihilominus maneat nec in aliud negotium transmutetur, fidei tamen & fidelitatis jurata promissio utpote naturale duntaxat feudi adminiculum remitti potest.

L X V I.

Quamquam non diffiteamur hujusmodi feudum, quod Interpretes FF. injurabile vocant improprium sit, ut quod à propria feudorum natura degeneret, notissimosque feudi terminos egrediatur *Zaf. part. ult. n. 34. Schrad. part. 2. c. 4. n. 18.*

L X V I I.

Fidelitatis autem juramento remisso, Vasallus nihilominus ad universa jurisjurandi vasallitici capita Seniori est obstrictus *Mozz. de feud. tit. de substant. feudi n. 20.* Et quamvis Vasallus hæc transgrediatur, non fit propterea perjurus, quatenus omne perjurium præsupponit jusjurandum, cum perjurium sit jurisjurandi violatio: at non potest juramentum violari quod præstitum non est *Schrad. part. 1. c. 7. n. 14.*

L X V I I I.

Alterum quod Vasallum liberare possit, ab amissione feudi est justa causa, quæ illum excusat quod intra tempus à lege præstitum fidelitatem non fecerit *c. unic. in verb. nisi. justa causa intervenerit quare non petierit Alnarot. in c. un. de feud. sine culp. non amittend. 2. f. 21.*

Causæ



L X I X.

Causæ ejus quanquam sint variæ ad quatuor duntaxat rediguntur in *c.unic. quo tempore miles 2. f. 21.* Mors, capitalis inimicitia, infantia & justa absentia.

L X X.

Quod primam excusationem concernit illam præstat mors Domini vel Vasalli intra legitimum tempus annum & diem investituræ petitioni & fidelitatis præstationi præfixum interveniens, si nimirum accidat vel Dominum vel Vasallum ante lapsum anni & dies de vivis decedere; Tum enim Vasallo de novo annus & dies conceditur, intra quem fidelitatem faciat, sic ut tempus ante mortem Domini vel Vasalli elapsum minimò imputetur *d. c. unic. que temp. mil.*

L X X I.

Atque adeo si Dominus intra annum & diem obeat Vasallus qui Domino fidelitatem & recognitionem antea nõ fecit, debet heredi Domini defuncti præstare fidelitatem intra annum & diem numerandum à die secunda mortis *Laur. Syl. in tractat. de feudis, de feudi recognit. quest. 39.*

L X X I I.

Similiter si contingat Vasallum intra annum & diem decedere heres illius ad quem jus petendæ investituræ & faciendæ fidelitatis transit intra annum & diem à morte Vasalli defuncti computandum feudum recognoscere & fidelitatem jurare potest *Sylv. quest. 40. & 41. Vult. c. 7. n. 56.*

L X X I I I.

Et ita tempus ante mortem primi Vasalli elapsum non computatur in annum & diem successori Vasalli ad petendam investituram & fidelitatem jurandum concessum, nec mora defuncti ipsi noceat sed ei de novo annus & dies conceditur

*Rosent.*



*Rosent. c. 6. concl. 44.* Secus se res habet, si annus & dies ante mortem Vasalli in totum fuerit lapsus: tunc enim feudum statim aperitur Domino feudi *c. un. in pr. vers. de prohibit. alienat. feud. 2. f. 55. Vult. c. 7. n. 86. Borch. c. 8. n. 8.*

L X X I V.

Secunda causa excusationis est capitalis inimicitia inter Dominum feudi & Vasallum orta *d. c. un. quo tempor. mil. Rosenth. in synops. feud. c. 6. concl. 53. Zas. p. 7. n. 4.* Notandum autem capitalem inimicitiam hoc loco nō solum dici quæ caput naturale h. e. vitam & corpus sed etiam quæ statum alicujus si-ve caput, ut vocant, civile honorem item omniumque vel etiam majoris partis bonorum amissionem concernit *Rosent. d. concl. 53. n. 2. Borch. de feud. c. 8. n. 11.*

L X X V.

Coeterum hæc ut justam excusationis causam præstet, plerique Interpp. requirunt ut citra ullam Vasalli culpam fuerit nata: ex hoc fundamento quod aliàs Vasallus ex sua malitia sentiret commodum *Rosent. d. concl. 53. n. 7. Mozz. de feud. subst. n. 45. Borch. d. c. 8. n. 15.* Sed veritati magis videtur conveniens planè hoc casu nihil referre utrius culpa Vasalli an Domini illæ inimicitia ortæ *arg. l. 4. & l. 22. ff. de Adim. Legat. modò Vasallus dolo non procuraverit eas, ideo sc. ne propter has investituram petere teneatur Schrad. p. 6. c. 2. n. 34.*

L X X V I.

Existimamus idem dicendum de gravi quavis alia inimicitia inter Dominum & Vasallum orta, Licet capitalis non fuerit, cum eadem ratio in hac, quæ in illa manifestò obtineat *Rosent. d. concl. 53.*

L X X V I I.

Sed de minis quid dicendum quibus Vasallo Dominus minatus est offendere ipsum in persona vel in rebus; & ob pa-  
D
rita-



ritatem rationis idem statuendum existimamus *Alvarot. in c. unic. n. 15. quo tempor. mil.* ambiguae quaestionis & illud est, nunquid Vasallus Procuratorem mittere cogatur qui nomine ipsius feudum recognoscat & Domino fidelitatem juret, ubi placet negantium opinio *Rosent. c. 6. concl. 53. n. 5.* Quanquam enim metus ille ob quem ob inimicitias exortas Vasallus Dominum accedere non audet in Procuratore cesset, non tamen haec sola ratio excusationis esse videtur, sed etiam hoc quod grave sit inimico fidelitatis juramento devinciri *Ronsentb. d. concl. 53. n. 4.*

L X V I I I.

Et haec in tantum vera sunt ut durantibus inter Vasallum & Dominum inimicitis non cogatur Vasallus Dominum accedere quamvis ipsi Dominus literis salvi conductus cavere velit. Non enim tenetur quis credere literis salvi conductus quoties de periculo capitali agitur *Schrad. p. d. c. 2. n. 36.*

L X X I X.

Illud autem porro quaestionis est quamdiu haec inimicitia à fidelitatis praestatione excuset? Nonnulli statuunt excusare inimicitias per totum illud tempus à lege concessum ad petendam investituram ac faciendam fidelitatem, eo autem tempore elapso non obstante inimicitia fidelitatem esse faciendam *Sonsb. de feud. part. II. n. 20.* Verum rectius existimare videntur illi qui statuunt, Vasallum tamdiu inimicitias excusare quamdiu illae reconciliatae non fuerint *Ros. c. 6. concl. 54. n. 1. & seqq.* Interveniente autem reconciliatione currere incipit annus & dies à jure feudali recognitioni feudi praefinitus, atque adeo à die cessantis impedimenti *Ros. d. concl. 54. n. 4.*

L X X X.

Tertia excusationis causa est infantia Vasalli *d. c. unic. quo temp. n. d. 2. f. 21.* infantia autem septennio ut constat terminatur, *por text. in d. c. un. quo temp. mil. junct. c. unic. §. si minor. §. de feu-*



*de feudi defunct. content. fit* quapropter qui infantia nondum exceſſerunt nec ſeptenniam compleverunt non coguntur ad jurandam fidelitatem, cum doli non ſint capaces nec intelligant quod agant *d. ſi minor Schrad. p. 6. c. 2. n. 26.* idem de infantia proximis dicendum quoniam nec hi intellectum habere videntur. *l. 9. & 10. l. de inutil. ſtipul.* ut pubertati proximi quia doli capaces ſunt & intelligunt quid agant *ſ. 18. l. de oblig. qua ex de i. c.* à juramento fidelitatis non ſunt immunes *per text. expreſ. in d. ſ. minori Roſent. d. c. 6. concl. 41. n. 5.* Multo magis id affirmandum de puberibus 25. annis minoribus *c. unic. in pr. verſ. præterea de prohib. feud. alienat. 2. f. 55.* Quamvis tamen hi ex recognitione feudi & fidelitatis præſtatione lubrico ætatis lapſi gaudeant beneficio reſtitutionis in integrum *Vult. c. 7. n. 66. Sylv. de feud. recognit. quæſt. 53.*

L X X I.

Quartam cauſam conſtituit abſentia Vaſalli vel Domini *d. c. un. quo temp. mil.* abſentia Vaſalli ſic demum excuſat, ſi fuerit juſta & neceſſaria non ſi voluntaria & temeraria *Schrad. p. 6. c. 2. n. 41. Borch. c. 9. n. 19. Vult. c. 7. n. 47.* & hæc adeo vera ſunt ut qui ex juſta cauſa abeſt nec Procuratorem mittere cogatur qui ipſius nomine fidelitatem juret *Sonſb. p. 11. n. 19.*

L X X II.

Cæterum Domini abſentia excuſat ſive juſta ſive injuſta fuerit *Schneid. v. part. 5. n. 41. Vult. d. c. 7. n. 74. Borch. c. 8. n. 20.* quod ſi tamen à Domino Procurator domi ſit relictus qui interim dum ipſe abeſt fidelitatis juramentum ejus nomine accipiat hoc caſu Vaſallo tempus anni & diei currere verius eſt, *Schneid. part. 5. n. 39. Sonſb. p. 11. n. 8. Vult. d. n. 74.*

L X X III.

Hæ ſunt quatuor illæ excuſationis cauſæ, præter quas an & aliæ admittendæ quæſtionis eſt? Nos ita putamus & Impe-



ratores prædictus quatuor exempli gratia tantum retulisse in  
*d.c.un. quo temp. mil.* Sic sine dubio excusatur Vasallus si in lo-  
 cum in quo facienda est fidelitas sine periculo pervenire non  
 possit vel propter pestem vel propter bellum, vel insolitam flu-  
 minum inundationem *Sylv. de recogit. feud. quest. 50 si & 52.*  
*Vult. d.c. 7. n. 83.* Sic etiam Vasallum carcere detentum, quan-  
 quam culpa ejus hoc fiat, excusari nonnulli putant, nec tem-  
 pus faciendæ fidelitatis ipsi currere *Sylv. quest. 77.* Verior ta-  
 men opinio videtur quod hoc casu quo culpa sua in carcerat-  
 us detentur Vasallus teneatur mittere Procuratorem ac per  
 eum fidelitatem jurare, cum alii non debeat nocere damnum  
 quod quis sua culpa sentit *Rosent. d. concl. 52. Schrap. p. 6. c. 2. n.*  
*45. & seqq. Vult. c. 7. n. 78.* modò incarceratus idoneum Pro-  
 curatorem habere possit. *Vult. d. n. 78.*

LXXXIV.

Sic etiam Vasallum à poena non præstitæ fidelitatis excu-  
 sare morbum fonticum non est quod dubitemus, quoniam  
 hoc tale impedimentum est quo quis feudi Dominum acce-  
 dere prohibetur *Wes. de feud. c. 8. n. 7. Sonsb. p. II. n. 20.* Similiter  
 ex opinione nonnullorum excusatur Vasallus si duo de feudo  
 contendant quo casu fidelitatis præstatio eousque differenda  
 donec constat uter ex illis in feudo defuncto succedat, dum-  
 modò Vasallus hoc casu protestetur per se nõ stare quo minus  
 vero defuncti Successori juret *Schra. d. c. 2. n. 22. Sonsb. p. II. n. 22.*

LXXXV.

Supereft nunc ut de effectu hujus jurisjurandi pauca subji-  
 ciamus is verò in eo consistit, ut Vasallus ad universa & singula  
 fidelitatis capita Seniori suo adversus omnem hominem obli-  
 gatur excepto Imperatore vel Rege *c. un. de nov. form. fidel.*  
*2. f. 6.* præterea excipitur Dominus antiquior, cum enim hu-  
 ic prius ad fidelitatem obstrictus fuerit Vasallus, non potest  
 Vasal,





Vasallus posteriori Domino se adversus priorem illum ad fidelitatem obligandum jus prioris Domini minuere conditionemque ejus deteriore reddere *Schrad. p. 6. c. 6. num. 20. & 21. Ritterh. in part. feud. lib. 2. c. 1. quest. 24.* quod usque adeo verum existimant, ut neque per se neque per substitutum posteriorem adversus antiquiorem Dominum jurare possit *arg. tit. 28. 2. f. nisi consuetudine loci in quo bona feudalia sita sunt, contrarium obtineat; loci enim consuetudo sicut alios actus ita & juramentum fidelitatis & obligationem ex ea descendente extendere vel restringere potest, & aliam consuetudo etiam prava a poena excusat juxta Schrad. part. 6. c. 6. n. 22.*

LXXXVI.

Porrò ipse Vasallus in omni fidelitatis juramento intelligitur exceptus sic ut Domino vi juramenti non teneatur adversus semetipsum suppetias ferre, cū nemo praesumatur consensisse in id quod contra seipsum est, *Vult. de feud. lib. 1. c. 10. n. 28.* hinc non cogitur Vasallus salutem Domini propriae saluti anteponere, sed rectè adversus vim injustam Domini cum moderamine inculpatæ tutelæ se tuetur ac defendit *l. 2. & 3. C. ad L. Cornel. de sic. l. 3. ff. de ff. de Inst. & jur.* Similiter in jurejurando Vasalli excipi intelligitur patria, quæ cum teste Cic. sit antiquior parens, major profectò gratia debetur illi qui huic benefecerit, quam qui parenti *Borch. de feud. c. 7. n. 42. Vult. d. c. 10. n. 31. Sylv. de recognit. feud. quest. 109. n. 17.*

LXXXVIII.

Denique cum filius cum patre pro una habeatur persona *l. fin. C. de impub. & alii substit.* consequens est ut sicut adversus se ipsum Vasallus Dominum juvare non debet, ita quoque nec contra patrem: Cum ejusmodi juramentum maxime læderet honorem ac reverentiam patri a filio vi quarti præcepti debitam.



LXXXVIII.

Coronidis loco paucis dispiciamus de differentiis juramenti Vasallitici seu clientelaris à juramento subjectionis & domesticitatis : quamvis enim hoc cum cæteris duobus , de quibus supra thesi V. dictum est juramenti nonnunquam concurrat, sic ut ab uno eodemque eidem subjectionis domesticitatis & Vasalliticum juramentum præstetur, si neinpe contingat eundem simul alicujus subditum officialem & Vasallum esse ; quia tamen hæc diverso respectu fieri solent, non oportet ea confundere sed potius ut vere diversa sunt accurate distinguere.

LXXXIX.

Et primò quidem subjectionis juramentum à clientelari diversum esse vel ex eo colligere licet, quod illud personale sit, ac ratione personæ duntaxat, uti dictum præstari solet ; hoc verò clientelare sit reale & intuitu beneficii feudalis exigatur, unde dicunt Ddres juramentū clientelare obligare Vasallum duntaxat in concreto respectu sc. feudi & onerum quæ ipsi ratione eorum imponuntur non verò personam in abstracto ; at contra homagium obstringit jurantem ratione suæ personæ ad onera subjectionis personalia subeunda *Matth. Steph. de Jurisd. c. 7. n. 225.* Secundò homagium à subdito in propria persona venit præstandum, hoc verò à Vasallo etiam per interpositam Procuratoris personam præstari potest *Matth. Steph. d. c. 7. n. 230.* Tertio subjectionis juramentum fortius ligare dicitur subditos quam Vasallitum Vasallos *Rosent. p. 1. c. 5. concl. 78. n. 5. & c. 6. concl. 85. n. 6.* Quartò subjectionis juramentū in heredes, dicunt esse transitoriū, clientelare verò ad heredes Vasalli non transit, sed successor Vasalli qualiscunque ille etiam sit fidelitatem de novo feudi Domino omninò facere cogitur, sed de hac differentia non immeritò quis dubitare posset siquidē plus quàm manifestum est juramentum successionis respectu here-

heredum jurantis non esse obligatorium, sed semper in succes-  
 soribus renovandum *Andr. Rnichen de sublim. territ. jur. c. 3. n.*  
*163. & seqq.* Cum juramentum non nisi animam jurantis liget  
 teste *Bertol. in Auth. quod obtinet n. 3. C. de probat.* Quoad Ma-  
 gistratum verò est hereditarium: Subditi enim jurant Magi-  
 stratui suo & ejus heredibus *Ihrem Erbherm dessen Erben und*  
*Nachkommen/ Rnichen d. c. 3. n. 67.* Quintò subjectionis jura-  
 mentum facit subditum, *c. unic. de pac. constant.* clientelare ve-  
 rò non item. Quamvis enim Vasallus ratione delicti, si ibi re-  
 periat, forum sortiatur in loco delicti, non quia est Vasallus,  
 sed quia delictum fundat jurisdictionem in loco delicti *c. licet*  
*X. de for. compet.* Subditus tamen ex eo non efficitur, cum di-  
 sparia sint subditum esse & forum sortiri *Gail. de arrest. imper-*  
*obs. 7. n. 12.* ex quibus ad oculos patet pluribus modis homa-  
 gium à juramento, Vasallatico differre, adeoque si quis unius  
 ejusdemque simul subditus esse vult & Vasallus, utrumque  
 juramentum præstare cogatur, prius ut subditus posterius  
 ut Vasallus, nec unum per alterum suppletur *Rosenth. d. c. 6.*  
*concl. 85.*

X C.

A clientelari denique diversum quoque est juramentum  
 domesticitatis siquidem illud ratione bonorum quæ quis in  
 feudum tenet, hoc verò solius officii quo quis fungitur  
 gratia præstatur. Secundò in domesticitatis ut & subjectionis  
 juramento juxta *Ddres* expressè jurare debet vitam, men-  
 tem id est secretum & rectum Domini honorem custodi-  
 re: at in clientelari jurejurando hæc singula nominatum ex-  
 primi non est necesse *Schenck Baro & Alvarot. in c. unic. qual.*  
*deb. jur. Vasall.* cujus ratio probabiliter potest esse hæc, quod  
 cum usibus feudorum articulatim dispositum sit, in quibus  
 Vasalli erga Dominum fidelitas consistat, ideo jurando fide-  
 litatem



tatem videtur fieri relatio ad omnes & singulas juramenti particulas, quæ placitis feudorum sunt proditæ: At cum domesticitatis & juramenti subjectionis capita jure feudali non similiter sint expressa, ad quæ jurans sese referre possit, ideo in ipso jurejurando singula illa atque universa fidelitatis capita à subdito vel domestico nominatim videntur exprimenda  
*Schenck Baro in d. c. unic.*

X C I.

Concludamus hanc disputationem illa quæstione; an Vasallus qui ob beneficium Domino suo clientelare juramentum præstitit, postea ab eodem Domino inter Domesticos ac familiares referatur, an nihilominus ad domesticitatis juramentum præstandum Domino tenatur? Ddres non infimi subselys affirmativam recipiunt ex eo quod juramenta hæc sint diversa *Schneid. de feud. part. 5. c. 1. n. 66. Alvar. in d. c. unic. qual. deb. jurar. Vasal.* Negativa tamen ex eo defendi videtur quod licet prædicta juramenta ratione objecti differant: forma tamen atque effectu ita conveniant ut in domesticitatis jurejurando nil amplius contineatur quam in clientelari, cum vitam mentem & rectum honorem Domini custodire Vasallus æquè ac Domesticus promittat. *d. c. unic. qual. deb. jurar. Vasall. junctis capitib. seqq.* atque hæc pro ratione instituti de juramento clientelari hac vice  
 sufficient.

SOLI DEO SIT LAUS ET GLORIA.



Corollaria.

I.

*Capitulatio Casarea furi divino non contrariatur.*

II.

*Capitulatio Casarea Majestati Imperatoris detrahit.*

III.

*Recessus Imperii valent & in vim legis & in vim Contractus.*

IV.

*Circa actum electionis Electores juramentum sibi invicem remittere non possunt, & si contra religionem jurisjurandi pecuniam pro suffragio acceperit Elector, facultate eligendi eum excidere verius est.*


V.

*Ad vitandam Anarchiam interregnum in Imperio Romano Germanico est introductum.*

VI.

*Sacri Imperii Vacantis provisio non spectat ad totum Collegium Electorale, nec ad foveam Vaticanam.*

In



**I**N Cathedrâ roseâ, quem fronte nitere videtis,  
Hic *amor est Themidos*: confestim adsurgite Musæ,  
Totaque odorati demessa rosaria Pæsti  
Porricite inverfis calathis vacuumque corollis,  
Qua teneros fert ille pedes, depingite terram.

Ingenij dotes pulcræ pulcrique labores  
Illum sordentis transvectum nubila vitæ  
Stellimicis Famæ jam sistunt sedibus, illum  
Vestitum radiis virtutum & honoris amictu  
Ingenii perpulcer honos ingentibus alis  
Subvectum magni supra hospita mœnia mundi  
Astrorum immiscet sphæris mundoque Deorum.  
Hic *amor est noster*: confestim applaudite Musæ:  
Næ meritò, *Nordbrincke*, tibi sacraria Famæ  
Pandit honos dudum meritis, quid dicere restat?  
Quàm quod sis felix, quæ singula seque parata  
Condecorant alios, te constipata coronant.  
En applaudo: tuis Numen conatibus auras  
Perfaciles adflare velit: sic carbasa tolle,  
Portuque optatæ felix potieris arenæ.

*Accipe Cl. Dn. Candidate, amice & popularis dilectissime, hoc  
mei in te amoris & affectus quaecunq; indicium*

Arnoldus Redeker, Prof. Philos

F I N I S.



Rünteln, Diss., 1624-60

ULB Halle

3

003 615 197




5b.

WOM









B.I.G.

Farbkarte #13

*J. A. Brandes de iur. vassallitico.*

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
De  
**JURAMENTO  
VASSALLITICO**

1, 092. 109.  
14  
1658, 2.

German. der Lehenspflicht

Quam  
AUSPICIO DEI OPTIMI MAXIMI  
Nobilissimo & Amplissimo Collegio Juridico Illustris  
Academiae Rintelensis approbante,

PRÆSIDE  
Amplissimo Consultissimo & Excellentissimo Viro  
Domino

**JOHANNES MARTINO Brandes**  
J.U. Doct. & Pandect. Profess. publ. p.t. Jurid. Facult.  
Decano Patrono ac Præceptore suo perpetuo  
colendo

*Pro summis in utroque jure honoribus & privilegiis  
Doctoralibus consequendis*

Publico examini submittit in Auditorio Jctorum

*Ad diem Julij horis ante & pomeridianis*

**JOHANNES Nordbrinck / Herv. Westphal,**



RINTELII, Typis Vidue Luciana,  
1658.

